NONNULLA DE NYMPHOMANIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Paolo Grumelli

NONNULLA
DE
NYMPHOMANIA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.RE CAMILLO PLATNER

MEDICINAE LEGALIS ATQUE POLITIAE MEDICAE P. O.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

publicae disquisitioni submittit

GRUMELLI PAULUS

BRIXIENSIS

TICINI REGII

Ex Typographia Bizzoni

1845.

124

Medicina non ingenii humani partus est,
sed temporis filia.

Baglivi, *Praxeos Medicae Lib. I.*

Nymphomaniae etymon a Νὴμφν vel rectius a Νυμφώ thalamus nuptialis, et μανία, mania, furor desumitur, et significat furorem sponsarum, vel desiderium thalami sive viri furiosum. Definitur species maniae vel cum Burserio melancholiae hystericae, quae cum effreni concubitus cupiditate, et tentigine conjungitur, ita ut obvius quisque ad coeundum provocetur.

Synonima sunt: metromania, uteromania, hysteromania, furor uterinus, erotomania, andromania, nymphochia, gynaicomania, theligonia, melancholia uterina, tentigo veneris, symptoma turpitudinis, machlosyne, salacitas etc. Vocabula nymphomania, uteromania, et andromania aptiora ac caeteris praeferenda videntur; nam ideam, vel characterem aliquem morbo imprimunt, suamque speciem et sedem proxime indicant.

Multo abhinc tempore notum fuisse hunc morbum testantur opera medicorum priscorum; quamvis apud eos nullam ferme attentionem promeruisset. Reapse Hippocrates, Galenus,

Celsus, Areteus, Oribasius, Paulus Aegineta, et alii, vix ullam habuerunt mentionem. Primi, qui de illo diffuse locuti sunt, considerari merentur Moschionius, Soranus et Aetius.

Medici antiqui, paucis exceptis, inter satyriasim, et nymphomaniam, nullam discrepantiam ponebant; imo apud eos, satyriasis unum, et alterum morbum implicite exprimebat. De hoc testimonium perhibent sequentia Moschioni verba: satyriasis est commune vitium viris et mulieribus; sed frequentius viris occurrit. Mulierum autem satyriasis est partium pudendarum prurigo cum dolore ita ut impatienter manus suas illuc mittant cum insatiabili virorum desiderio, amissa scilicet omnis pudoris verecundia. Siquidem enim res, quae matricis consensum habet, et verecundiam eis confundat, et tollat, et aliquantulum eas delirare faciat.

Quamquam satyriasis et nymphomania, morbos sistant, qui magnam inter se similitudinem ostendunt, nempe quoad symptomata, causas, a quibus producuntur, et curam, qua generatim sanantur, nihilominus nobis liceat, eos distinguere, perpendendo sexuum oppositionem relate ad genitalia complexum phaenomenorum, cum quibus singulus morbus se prodit, et taudem differentiam auxiliorum, quibus opem ferre possumus morbo imminenti, vel jam evoluto. Huic nostrae opponitur sententia Londe, et Raimann, qui veterum opinionem adhuc inpraesentiarum sustinent, et pro unico tantum morbo satyriasim, ac nymphomaniam defendunt.

Perpauci sunt medici neoterici, qui de nymphomania fusius tractaverint, forsan ob pudoris verecundiam, parentumque honorem, quos Astruc, et aliorum sententia offendere verebantur, quum de tali aegritudine sermonem habuissent; sed unusquisque videt, quam labans, ac erronea sit istorum opinio; et de hocce quisque magis suasus erit, quando ad praecipuas hujusce morbi causas, de quibus nunc disserendum est, mentem vertet.

Sub nomine causarum hic intelligo illam morbosam nonnullarum organismi partium conditionem ab agentibus cum externis, tum internis inductam, qua perdurante, dispositio ad hunc morbum ponitur, vel ipsius pene causa proxima exurgit Ergo nostro sub intuitu causae nymphomaniae essent.

1.° Irritatio, vel vera genitalium phlogosis, quae excitatur; et sustinetur ab onanismo, vel ab aliis causis.

2.° Nimis continentia in pubertatis aetate, qua organa genitalia plenam acquisiverunt evolutionem, suamque functionem explere consuescunt. In hacce vitae humanae periodo, sensibilitas miro in modo extollitur, systema nervenm exquisitum reperitur, atque cum illo genitalium systemate nexum strictissimum tenet.

3.° Vitia, et degenerationes organicae genitalium muliebrium, et praesertim clytoridis, nympharum, uteri, et ovariorum.

4.° Affectiones cerebelli innatae, vel fortuito modo advenientes.

De istis omnibus singillatim loquar, et ostendam, quantum in me erit, eorumdem pondus tum ad diagnosim hujusce morbi exacta efformandam, ac prognosim divinandam, cum ad therapiam rationalem instituendam. Hic tamen praetermitti nequit, non esse omnino necessariam illarum conditionum praesentiam, ut nymphomania in scenam prodeat; nam etiam illis omnibus absentibus, hicce morbus evolvi potest. Confitendum idcirco est, istos ultimos nymphomaniae casus esse pene exceptionales, prae quamploribus aliis in quibus una vel plurimae insimul occurrebant enarratae conditiones.

Quod irritatio ex onanismo nymphomaniam prodocere queat, ex libris medicinae compertum video. Tissot in suo tractatu de morbis ex onanismo procedentibus, hanc formam morbosam ex hac unica causa tantum saepissime ortam, observasse narrat. Bienwille et alii, nonnulla exempla in medium proferunt, puellarum onanismo ardentium, quibus serius, ocius talia morbus tandem evolvebatur. Sed circa hoc mentione dignum est, quod ultimis hisce temporibus Deslandes affirmat in suo valde laudabili opere *de l'onanisme, et des autres abus vénériens* in quo sequentia leguntur: *l'onanisme n'est pas seulement une cause directe de satyriasis et de nymphomanie, il peut laisser dans les organes génitaux une certaine disposition qui fécondée plus tard, est susceptible de dégénérer en l'une ou l'autre de ces affections.* Ab bacca opi-

nione omnino dissentiunt, qui nymphomaniam constanter e cohibita flagrante libidine, et a conflictu quodam rationem inter, et reluctantem sensum derivant, ita, ut tandem delirium intret, sub quo mens de sede sua dejicitur, et sensui venereo integre obedit. Quod huo conflictus minime necessarius sit, satis demonstrant casus nymphomaniae in infantibus, puellis, cretinis, imbecillibus. Praeterea omnes vident absurdum in quod delabitur, illam opinionem amplectendo, quod scilicet vel nostra religio illius evolutiooem foveat; id quod admittere nefas est; vel minori frequentia occurret in individuis aliorum cultuum, quod necdum certe demonstretum est.

Hic, tamen notandum venit, juxta observationes Esquirol in Gallia, et Holst in Norvegia, monomanias et ideo nymphomaniam ex omnimo multo minus esse frequentem in mulieribus, quam in viris satyriasim; forsan ex eo quod, quemadmodum ait idem Esquirol, rarius manustupratio in faemiuis observatur; contra longe frequentior in maribus.

Causae, quae ad onanismum mulieres provocant, distingui possunt in idiopathicas, et sympathicas. Idiopathicae essent. nimia erethilitas, vel sensibilitas genitalium externorum; transitus urinarum per vulvam, vel aliarum materierum; apurcities harum partium, et praesentia smegmatis. Ex hac ultima causa repetenda ne est, ut quidem Vesalius adnotavit, major frequentia

nymphomaniacarum in locis calidioribus, in quibus maxima est humorum exhalatio, et parvi aestimatur corporis munditiea?

Praeterea nidulatio vermium, speciatim oxiuridum in intestino recto, eorumque ingressus, ac domicilium in partibus generationis externis, praesertim in vagina, uretra etc., quemadmodum medicae hystoriae docent, et exemplum a Beck relatum foeminae cujusdam septuagenariae abbunde confirmat. Haec anus sanabatur statim ac vermium, ope injectionum substantiarum amararum fugata fuit praesentia. Tandem corpora extranea arte, vel fortuito introducta tam in canalem vaginae, quam in illum uretrae, quae tamen non dolorem, verum pruritum, titillationem venaream excitent.

Causae sympathicae essent omnes, quae totius organismi incitationem adsugent, et potissimum genitalium, vel aliorum organorum relationem babentium cum systemata sexuali. Hoc sub intuitu recensentur: abusus spirituosorum, substautiarum calefacientium, aer calidus, nimia animi expansio, motus excessivus etc. Quaedam substantiae etiam habentur, quae electiva supra uterum actione, instructae esse videntur: uti nonnullae fungorum species (tuber, boleti), cioccolata cum vainilia, cynnamomum, phosphorum, et prae omnibus canthardes. Substantiae praeterea, quae super alia systemata agunt, earumque actionem super genitalis reflectunt, sunt: quaedam narcotica, ut

hyosciamus, stramonium, belladonna, cicuta etc.; nonnulla purgantia, et speciatim drastica fortiora, atque omnia cutis irritamenta. Hisce causis sympathice agentibus, sive nymphomaniae remotioribus, alias quamplurimas adjungere potuissem, quae in pertractationibus hujusce aegritudinis referuntur.

Sub harum circumstantiarum influxu, inficiari nequit, quod interdum non solum irritatio, sed et vera genitalium inflammatio oboriatur, qua sympathico modo, totum systema nerveum erethismo detinetur, et ex hac causa nymphomania evolvitur. Non immerito ideo credebatur, causam proximam nymphomaniae reponendam esse in inflammatione genitalium; quae opinio etsi multis in casibus comprobata videatur; attamen a nobis declaratur nimis absoluta, ac generalis; id quod melius patebit in progressu operis. Nunc deveniendum est ad secundam nymphomaniae causam,

Pubertas dispositionem ad hunc morbum gignit, nimia continentia provocat. Hoc absolute minime accipi potest; adsunt enim exceptionis casus, in quibus evolutio morbi manifestabatur ante, vel post illam temporis periodum. Buchan ex. gr. observavit puellam, vix annum tertium ineuntem, nymphomania correptam. In hac puella adnotanda erat et magnitudo clytoridis, cujus in causa postquam nupta fuit, copula difficilis admodum erat, et tempestas, qua majori efflagrabat nymphomania erat vernalis, qua

perdurante, odore hyrcino fortiter redolebat. Contra, hunc morbum aetate provecta, et quidem in senibus evolutum observarunt Halwich, Biett, Beck, Trousseau etc. Nihilotamen minus ab omnibus admittitur, aetatem aptiorem nymphomaniae evolutioni, pubertatem esse; hocce tempore enim systema genitale plane evolutum, et perfectum est, et cum aliis systematibus praesertimque cum illo nervorum in nexu strictissimo ponitur. Quo fit, ut sub minima functionum suarum perturbatione, ac laevi affectione in compassionem trahantur et centra nervosa adeo ut istorum perturbationem primariam, potius quam uteri sympathicam, esse credideris. Relationem, quae inter genitalia, et caetera organa strictissima viget maxime ad pubertatem, valde bene agnovit, et delineavit celeberrimus Deslandes in praelaudato suo opere, hisce verbis: *En effet, quand cet état est bien prononcé une chaleur plus forte paraît circuler dans toutes les parties du corps. Les yeux sont plus brillans; une coloration plus vive anime le teint; le pouls est plus vif, plus accéléré; enfin le sujet éprouve une sorte d'agitation fébrile, qui dans le satyriasis, et la nymphomanie, c'est-à-dire dans les degrés les plus extrêmes du rut humain, offre le charactères de la fièvre la plus marquée. Les sécrétions aussi subissent des modifications importantes, peu marquées dans notre espèce, mais plus facile à saisir chez une foule d'animaux, qui exhalent, pendant le rut une odeur forte et*

le plus souvent repoussante. La nutrition elle-même souffre de cet état ; le corp prend cette maigreur qui est si ordinaire à ceux que brûle une salacité continuelle etc.

Hoc posito non mirabimur si haecce vitae epocha, innumerabiles nervorum morbi mulieres vexant, cum systema genitale a norma aberrat, morbo conflictatur, vel suam efficientiam exercere nequit. Innumera sunt facta, quae sententiam defendunt, nymphomaniam longe facilius aetate pubertatis evolvi, quam aliis vitae stadiis; cui consequitur, numerum nymphomaniacarum puberum, longe majorem esse illo adolescentium, vel senum. Pubertas ergo non opportunitatem tantum, sed conditionem proximiorem ad nymphomaniam ponere videtur.

Causae autem, quae hac aetate, ad hunc morbum excitandum specialem vim possident, sunt praesertim, quae facultates mentales exaltant, earumque directionem naturalem subvertunt, nempe animi pathemata, amor infelix, denegatus, amati viri amissio, societas hominum corruptorum, exempla mala; educatio vitiosa, licentior, intuitus rerum inhonestarum, sive picturae, sive sculpturae etc., denique musica.

Sub harum mentis facultatum perturbatione, si contingat, quod mulier imaginatione ferventi praedita sit, et habitum corporis praebeat ad affectus venereos pronum; nempe temperamentum nerveo-sanguineum, musculos prominentes, parvo textu cellulari instructos, pilos nigrescen-

tes, et splendentas, oculos amplos, nigros, vivaces, physionomiam exprimentem, mammas evolutas, pelvim amplam, coxas rotundas, voluminosas, corpus agile etc. facile absque ulla alia causa nymphomaniaca redditur. Etenim pubertas jam dispositionem magnam ad bunc morbum ponit, causae psychicae eum excitent, habitus sustinet. Hoc modo nymphomania vere talis vel genuina in scenam adparet cum symptomatibus suis pathognomonicis, inexplebili nempe coeundi adpetitu, magno veneris orgasmo, et convulsione partium, cui si quod obstet libidinis satisfactioni, deliratio, vel furor venereus subintrat, quo durante, motus et verba obscaena, aegra etiam se inscia, proferuntur, donec paroxysmo ad finem vergente, ex genitalibus quidam humor profluat, cum insigni virium delassatione, et dein requies corporis, animique compositio paullatim redeat.

Accessus nymphomaniae generatim intra breve temporis spatium absolvuntur. Memini tamen de quadam muliere, in qua nymphomaniae accessus per decem usque horas indesinenter continuabatur. Et circa hoc, notandum est, morbo increscente, paroxysmos frequentiores et longiores fieri, adeo ut ultimo morbi stadio vix ullum lucidum intervallum animadverti possit. Bienwille in suo tractatu de nymphomania ejusdem gravitatis casum refert, quem tamen ad sanationem post longam curam feliciter perduxisse narrat. Hactenus de

nymphomania ex pubertatis causa; nunc ad tertiam conditionem deveniemus.

Dixi, quod nonnulla genitalium vitia, et organicae alterationes hunc morbum producere queant. Hanc veritatem demonstrant plurimae ab auctoribus prolatae observationes. Murat et Champion nymphomaniam observarunt ex hypertrophia clytoridis et nympharum. Ex hac sola causa alii repetunt nymphomaniae frequentiam in regionibus calidioribus, ubi hypartrophia illarum partium saepissime occurrit; ita ut exinde, etiam circumcisionem faeminarum derivent, quae praedictis in regionibus usuvenit ad morbi evolutionem praecavendam. Oblivisci pariter non debemus tumores et excrescentias, quae interdum ad magna et parva labia, nec non ad mucosam genitalium hinc inde erumpunt atque efformantur, quorum ob praesentiam, ardor, et genitalium molestissima prurigo insequitur, at tandem vera nymphomania evolvitur. Praeterea nemini latent emolumenta ab operationibus chirurgicis ad illum morbum obtruncandum susceptis, saepissimae obtenta; quod sine ulla controversia nymphomaniam ex illis organicis aberrationibus quandoque progigni posse satis osteudit. Sed magni quoque faciendae sunt uteri alterationes, praesertim ovariorum, ad hujusce morbi genesim. Quoad uterum casum tantum ab Halwich enarratum, huc referam, de quadam muliere, jam aliquo tempore nymphomania detenta, cujus autopsia quatuor excrescentias teniformes, quarum

in centro cavitas caeca observabatur, ad uterum inventae fuere; quaeque excrescentiae inter se, et cum vertebris propinquis per fasciculos carneos nectabantur. Ovaria vesiculis miliaribus innumeris obvestiebantur, quibus incisis, humor niger, gelatinosus effluebat. Circa autem ovariorum influxum ad venereos adpetitus excitandos, praetermittendum non est, eorum evolutionem, quae ad finem adolescentiae incipit, et primis menstruis salutator, venerea exaltatione saepissime comitari; quae erethistica conditio paullatim recedit, et ad nihilum plane reducitur aetate climaterica accedente. Haller. et alii anatomo-physiologi ex evolutione vasorum sanguineorum illud veneris orgasmum pendere censent. Praeterea omnibus notum est, exportationem ovariorum, illius testium ad instar, aliquoties veneris ardorem omnino extinguere. Sacchi plurias suscepit oophotomiam mulierum, et in illis, quae mortem effugerunt constanter observavit omnino deletam fuisse alterius sexus propansionem, mammasque atrophicas evasisse. Singulare etiam est factum a multis auctoribus recordatum, de quodam castratore, qui cum maxime iratus esset ob suae filiae morum dissolutionem, ovaria ei eripuit, et ignem amatorium in ea extinxit. Sed hoc relate ad physiologiam ovariorum; nunc videamus, an pathologicae ipsorum conditiones aliquem influxum ad nymphomaniam producendam, exerceant. Viri multae auctoritatis quemadmodum Bonnet, Blancard, Vesalius, Riolanus,

Riverius etc. qui multa cadavera nymphomaniacarum secaverunt, plurimas ac multiformes ovariorum alterationes detexerunt. Sed hic est quaestio: istae alterationes erant ne causa; an potius effectus nymphomaniae, vel aliorum morborum? Unusquisque nostri facile videt, neo unam, nec alteram opinionem minime absolutam declarari posse. Attamen etsi exempla non desint nymphomaniae, in quibus ipsa evolvebatur ob genitalium primitivas organicas alterationes, nihilominus communi sententia statuere debemus, praedictas alterationes, in majori casuum numero, excessus venereos proxime insequi. Hoc sub intuitu mihi sufficiat Cullerier sententiam referre: *les affections utérines sont trop souvent la triste et cruelle conséquence des manœvres solitaires.* Saepe nimis dicit auctor iste, non ergo semper; nam accidit non raro, quod quae extus innocens semel fuerunt aliorum morborum, temporis progressu in causam nymphomaniae proximam convertantur. Altera quaestio asset: cur in quampluribus casibus morborum organicorum systematis genitalis nymphomania numquam evolvatur? Hoc pendere potest vel a sede sive qualitate partis adfectae, vel a natura morbi organici ipsius aut individui, vel a complicationibus, aliisque causis lateralibus. Sedes, vel qualitas partis adfectae valde aestimanda est vel ob suam sensibilitatem, vel ob suas relationes nervosas, et sympathicas, quas cum aliis partibus observat. Quo major est partis sensibi-

litas et nexus, eo major esse debet sua efficientia super organismum. Clytoris, nymphae, atrium vaginae, collum uteri, et ovaria majori sensibilitate instruuntur, et relationes tenent magis extensas; ergo eorum alterationes facilius nymphomaniam minitantur. Natura morbi, et individui, quousque talis sit, ut nec sensibilitas adaugeatur, nec organiami reactio contra illam exurgat, certe neque localia, neque generalia subjectiva phaenomena prodent. Ast si reactioni locali et illa organismi totius respondet, rationi consentaneum videtur, nymphomaniam oriri posse. Indurationes genitalium, schyrri, cancer, ulcera phagedenica etc. sive ob peculiarem eorumdem essentiam, sive ob humorem quem effundunt, aut inflammationem, qua foventur, et circumdantur, nymphomania facilius comitantur, quam caeteris paribus, aliorum morborum cohortes.

Complicationes, ac causae laterales suum quoque influxum exercent, quum ob eorum naturam, extensionem, sedem et actionem directe, vel indirecte systema genitale adficiatur. Systema cutaneum, et mucosum valde consentiunt inter se, et eum illo genitalium; aphrodysiaca, sensus venereos sollicitant, atque increscunt. Exhantemata ergo, et catharrales affectiones, atque abusus aphrodysiacorum illam conditionem ferunt, sine qua alterationes organicae genitalium per se ineptae forent ad nymphomaniam inducendam. Istae omnes morborum genitalium con-

ditiones ante oculos habendae sunt ad rationalem nymphomaniae evolutionem rite statuendam.

Sed circa morbos cutaneos mentione dignus est eorum influxus super systema genitale. Medici Graeci loquuntur de elephantiasi, ac lepra, ut exanthematibus valde actuosis ad libidinem movendam; imo apud ipsos libido indiscriminatim sumitur pro satyrissi aut elephantiasi. Revera Aristoteles dicit: similis huic (scilicet leprae) est morbus satyriasis vocatus. Hic vero de lepra tantum et elephantiasi, ad satyriasim excitandam, sermo habetur; sed quis non videt nullum esse discrimen quoad effectus in uno alterove sexu, nam ratio, qua hoc fit, ambobus sexubus eadem est, relatio nempe inter cutim, at mucosam genito-urinariam? Observationes permultorum medicorum et Burserii hanc veritatem quidem palam faciunt. Attamen praeclarissimi Alibert, Rayer, et Cazenava non constanter observarunt ex elephantiasi tuberculari exaltationem sensus venerei; quin imo e contra aliquoties sensus venereus ex integro consopitus visus fuit. Hoc pendere videtur a gravitate morbi, at a diuturnitate ipsius, quo fit, ut et partes genitales profundius laedantur, et systema nervorum plane obtundatur.

Sed morbi cutanei non semper directe genitalia offendunt, interdum etiam indirecte, nempe ob laesionem massae encephalicae, praesertim cerebelli, cujus in caosa et systema genitale in compassionem deinde trahitur. Tali pa-

ecto nexum ponimus inter tertiam et quartam nymphomaniae causam, sive ex morbis cerebelli, quod nunc demonstraudum est.

Gall et phrenologistae fere omnes censent sensus venereos a cerebello dirigi, observationibus innixi, quod haec pars massae encephalicae in animalibus mammiferis, pubertate adventante, plenam suam evolutionem acquirit, et cum cerebro proportionem tenet, duce Soemmering, ut unum ad quinque, dum in infantia vix septimam ipsius partem constituit. Admittitur etiam, minorem cerebelli mulierum massam, quam detexerunt Gall et Spurzheim, explicationem sistere, quod in faeminis, prae maribus, minor sit erga venerem inclinatio. Praeterea observatio est, castrationem, et semicastrationem in maribus atrophiam generalem, vel partialem cerebelli determinare, et morbos cerebelli eumdem effectum super testes producere. Ex hoc deducitur, quod quo majus est cerebellum, ejusque vitalitas, eo major esse debet ad venerem proclivitas, vel super genitalia influxus. Sicque compertum est, cur in aliquibus individuis fere nulla sit voluptatum cupido, contra in aliis magna atque invincibilis, quamvis genitalia utrinque normam sequantur. Gall cerebelli massam externe deducit, ita ut quo major est protuberantia, et extensio nucae, aeque proportione quoque majus esse debeat cerebelli volumen. Hoc absolute admitti nequit; etenim etsi magna sit nucae protuberantia, non video, cur et illa cerebelli respon-

dere debeat; nam crassities tabulae osseae, quin cerebelli volumen adauctum sit, illam prominentiam efficare potest. Nihilotamen secius generatim videmus, quod iu primis quoque sagacissimus Gall adnotavit, majori vi impelli ad libidinem prae aliis, qui nucam extensam et prominentem ostendunt.

Multa facta a Gall, Spurzheim, Voisin, Chanffard etc. in medium referuntur, quae comprobant cerebelli influxum, quoad adpetitos venereos gubernandos. Hic tantum referam praecipuas cerebelli organicas alterationes, quae magnum habent super sensum venereum influxum.

1.° Hypertrophia cerebelli. Gall pluries observasse affirmat hanc cerebelli conditionem, in quibus maximus erat libidinis ardor. Andral contra rarissimam autumat, imo neque ipse meminit eam semel vidisse, vel ab aliis observatam fuisse. Haec oppositae opiniones in viris aliunde doctissimis, dubium relinquunt an cerebelli hypertrophia admittenda sit, nec ne.

2.° Inflammationes chronicae et acutae cerebelli, sive sponte, sive ex consensu aliarum partium, sive ex causa thraumatica enatae. Ex cerebellitide pariter, ac epilepsia, exaltatio venerea exurgere potest. Apud auctores exempla quamplurima inveniuntur individuorum utriusque sexus, in quibus huic soli conditioni tribuenda erat causa veneris abusus. Liceat, ut hic tantum referam casum a D. Joseph. Cittarelli enarratum. Qui plura cupit, perlegat Deslandes in opere citato.

Mulierem ille observavit, quae post contusionem in parte capitis postica, calorem molestum in vagina, e qua liquor coloris albescentis fluebat, patiebatur. Coitum quamquam flagrantissime cuperet, tamen prohibebat ob dolorem quem inde experiebatur, adeo sensibilitas eminebat. Quae quidem symptomata evanuere solummodo post venaesectionem, hyrudinum applicationem, et praecipue posteaquam adhibito unguento ex tartaro stibiato, pustulae in cervice apparuerunt.

3.° Apoplexia cerebellaris ex vitiis organicis, vel a violentiis externis inducta. Serres circa hoc medicorum attentionem vocavit, et facta collexit, quae in Diario Physiologiae inseruit, quaeque brevitatis causa, ommittimus. Medici itaque non obliviscantur hujusce cerebelli status ad venerem incendendam; etenim mihi videtur non admodum rara cerebelli apoplexia, vel saltem conditio, a qua paullo illa distat, nempe congestio sanguinis passiva, quae saepissime arte provocatur, vel accidentali modo exoritur.

4.° Hydrocephalon tandem a nobis recansetur ultima veneris causa. Gall observavit cerebellum prae aliis massae encephalicae portionibus, vix unquam hacce deganaratione detineri; ex illius illaesa compage derivanda ne est ipsius actionis praeponderantia? Chauffard juvenem vidit XIV, XV annorum, qui saepe se manustuprabat, et omnibus exprimebat immensum delectamentum, quod experiebatur.

Ex hisce omnibus palam videmus, influxum,

quem super genitalia cerebellum exercet; sed de hoc absque ulla dubitatione evicti erimus, pericula animadvertendo, quae Segalas et Voisin in animalibus instituerunt, styli ope, cerebellum directe feriendo, cui statim consequebatur genitalium reactio. Omitto quidquid de medulla spinali, iidem Segalas et Voisin scripserunt; etenim morbi medullae ipsius videntur potius consequentiae, quam causae directae veneris abusus.

Istis omnibus breviter perpensis, unusquisque facile videt, binas esse nymphomaniae origines, idest nunc incipere ex genitalibus, nunc ex cerebello. An prima nymphomaniae origo, frequentior sit altera, nondum mihi innotescit; summa statistica rationalis de hocce judicabit; nobis nunc tantum interest circa hoc edoctos esse, ut therapiam istius morbi rectam ac rationalem instituere valeamus. Sed quomodo distingui possint hae duae nymphomaniae pathologicae conditiones, mihi liceat hic referre.

Statim ac exoritur nymphomania, medicus vocatus, inquiret, quando, et quomodo incipet, qualis fuit causa. Dein investiget, an morbi generales adsint, speciatim cutanei et rheumatici. Si de pubere agatur, et quidem nupta, sermonem habebit an menstruatio regulariter procedat, et lochia bene fluant. His collectis, et pensitatis, definiat an morbus ex genitalibus suam scaturiginem agnoscat, an ex cerebello; sed ut certior sit, investigationes dirigat erga illas partes. Examinet idcirco conditionem ma-

terialem genitalium, praesertim illarum partium, quae utpote indicavimus, specialem attentionem merentur. Si nullum, post diligens examen, detegerit vitium, perquirat nucae conditionem scilicet suam extensionem atque protuberantiam, nec non calorem; querat an doleat, vel sustulerit violentiam et vesicantium adplicationem et sic porro. Si omnia in statu normali ipsi videotur, reflexionem suam vergat ad aegrae positionem, aetatem, temperamentum, et omnes organismi partes et systemata, an erethistice conditione detinentur, singulatim perpendat. Tali pacto procedendo, non erit ei perdifficile andem proximam nymphomaniae statuere.

Symptomata nymphomaniae festinanter enarravimus. Hic solum attendere debemus, saepius nymphomaniam non illico totum organismum aggredi; sed pedetentim incohari, increscere gradatim, deinceps reliqua systemata in compassionem trahere, ita ut ex affectione locali fiat tandem generalis, functiones organico-animales subvertendo. Juxta hunc decursum communem, tres distincti gradus ab auctoribus ponuntur. In primo phaenomena localia tantummodo in genitalibus habentur; in secundo phaenomena magis diffusa, praesertim mentis aberrationes animadvertuntur; in tertio ratio caligine obruta omnino adparet; suumque imperium super alias facultates plane deletum est; aegra monomaniaca redditur, et, sui ipsius inscia, verba oscena profert, atque inverecundas peragit actiones.

Nymphomaniae distinguenda est ab hysterismo quocum saepe complicatur atque confunditur; etenim hysterismus venit ad accessus breviores, laeviores; facultates mentales admittit; sed non comitatur delirio monomaniaco, nempe idea fixa erga scopum determinatum; ejusque postume sunt minus ominosa. Sunt pariter qui nymphomaniam ab hysteromania, atque erotomania distinguunt; sed nullius fere momenti haec distinctio videtur.

Decursus nymphomaniae varius est, pro diversitate originis, naturae caussarum, regionis, et habitus aegrae. Circa originem si morbus ex cerebello primam ansam acceperit, et haec pars, gravi, acuta phlogosi detineatur, nil mirum si intra paucos dies, suum decursum adimpleat. Contra si ex organis genitalibus exordiatur, et hae quoque gravi corriperentur adfectione, morbus in longum protrahi potest; neque suum finem habebit, nisi quum totum devastaverit organismum, atque omnes pene fonctiones pessumdeverit. Naturae caussarum aestimanda est ob earum speciem ac facilem vel difficilem amotionem, et ob sedem quam occupent. Generatim si morbus pendet a phlogosi, decursum breviorem habebit, quam si a caussa organica sustineretur. Regio aliquam influxum habere queit, quoad sollicitandum, vel procrastinandum nymphomaniae decursum. Generatim admittitur citius decurrere in regionibus calidioribus, quam in temperatis et frigidis. De hoc speciatim te-

stimonium perhibent Graeci scriptores, qui hunc morbum saepe saepius observarunt intra septem, vel octo dies suum finem explere cum aegrae interitu. Quoad habitum aegrae, si est valida, nec labefactatur aliquo ingenito, vel aquisito morbo, nil obstat, quod nymphomania per longum tempus etiam perdurare possit. Attentione dignum est factum, quod nonnulli medici narrant, nempe vidisse casus nymphomaniae intermittentis periodicae, quae tempestate veris constenter evolvebatur, vel post partum exbantlatum. Hocce sub rerum statu concludi debet, decursum nymphomaniae nunc esse acutum, nunc chronicum, nunc periodicum.

Morbi, qui nymphomaniam sequuntur distingui possunt in idiopathicos et sympathicos. Ad primos spectant genitalium ac cerebelli alterationes, quae diu perdurante morbo, talem gradum, atque indolem nanciscuntur ut nec arte, nec naturae auspiciis sanatio sperandi sit. Istae alterationes multiformes, lenta, subdola phlogosi aluntur, quae exitus incessanter parat, e quibus iterum excitetur actionum circuitus adinstar. Alterationes organicae idiopathicae, artis auxiliis rebelles, etsi morbus jam semel devictus fuit, proclivitetem ad recidivam ponunt.

Ad morbos sympathicos demandantur, qui totius organismi vitam vegetetivam, et animalem offendunt, debilitas nempe functionum organorum digerentium, et nutritioni inservientium; emollitio ossium textarae sive osteomalacia, ra-

chitis; atrophia organorum, marasmus, morbi colliquativi, tabes, vel consumptio dorsalis, phthysis pulmonalis, diarrhoea, febris haectica etc. Systema nerveum uno eodemque tempore pariter laeditur, atque prosiliunt tremores, convulsiones (epilepsia), musculi flacidi, et debiles fiunt; tandem paresi atque paralysi prehenduntur; mens aberrat atque ordo idearum subvertitur. Prodeunt dementia, vesaniae, memoriae lapsus, judicii et imaginationis extinctio. Idiotismus hebetudo, et imbecillitas tandem claudunt scenam.

Prognosis nymphomaniae juxta causas, stadium, ac diversas complicationes, modo felix, modo reservata, modo infausta divinanda est.

Thaerapia. Nymphomania, ut vidimus, a pluribus ac diversis causis originem suam agnoscit, ergo cura diversa suadenda est, atque variis conditionibus adcommodata. Quum morbus etsi adhuc in ovulo occlusus, vel aliunde sanatus, evolutionem minator, prophylaxim instituere oportet. Si agatur de puella onanismo dedita, vitetur, ne sola sit, ne cum aequalibus unius alteriusve sexus, consortium teneat. Educatio physica, moralis, ac intellectualis in hoc conveniat, ut robur corporis sustineatur, et facultates mentales a recto tramite non recedant. Contra si agatur de pubera, admoveatur quam cito, mari strenno, robusto, animo bilari, et probo. Copula, graviditas, et lactatio ardorem venereum extinguent. Quod si quid obstet ad

connubium ineundum, suadeatur illi ipsi interim animi exhilaratio, mentisque cultura; victus sit parcus, parum nutriens, vegetabilis; circulo hominum, ac mulierum morum integerrimorum, studeat; atque libros eroticos, et fabulosas narrationes a se procul repellat.

Morbo jam evoluto, examen instituatur, an a morbosa conditione genitalium vel cerebelli pendeat. Sede et caussa morbi cognita, therapiam statim contra illam dirigere debemus, quae potest esse medica vel chirurgica. Cura medica suadetur in omnibus casibus in quibus cura chirurgica vel non necessaria, vel impossibilis est. Si ex inflammatione genitalium, vel cerebelli morbus procedit, methodum antiphlogisticam generalem, et localem gradui morbi, et subjecti idoneam in usum trahere debemus; quemadmodum venaesectiones, hyrudines, cucurbitulas incisas, glaciem, interne deprimentia, refrigerantia etc. Inflammatione devicta, si aliqua irritatio, vel erethismus nerveus adhuc perstat, externe, et interne praescribi possunt sopientia, anodyna mitiora, ac derivantia non ex cantharidibus conflata, quae actionem aphrodysiacam irritantem in genitalibus exercent; sed potius ex oleo crotonis tilii, unguento stibii cum pauxillo sublimati corrosivi, vel ex lapide infernali, potassa caustica etc. A nonnullis camphora tamquam specifica actione anti-aphrodysiaca praedita extollitur, cui addere possumus nitrum, quod pariter valde commendatur. Mun-

dities genitalium, et fomentationes emollientes magni aestimandae sunt; sed si ulcera quoque adessent, tunc adstringentia usuveniunt, inter quae aqua calcis valdopere laudatur a Bienwille vel sub forma fomentationum, vel injectionum.

Si nymphomania a diffusione, vel retrocessione exanthematum pendere videatur, tunc praemissa methodo antiphlogistica, deveniendum est ad balnea generalia, ad illinitiones irritantes, speciatim ad unguenta sulphurata; interne eccoprotica saepe repeti possunt, praesertim sulphur cum cremore, magnesia, et alia hujuscemodi. Fuit ne ulcus exsiccatum vel menstrua, lochia suspensa? statim tunc revocentur. Morbi rheumatici, arthritici, podagrosi convenienti methodo tractentur.

Cura chirurgica tum opus est, quum vel corpora heterogenea extrahi, vel diaeresis fieri debet. Corpora extranea, calculi etc. ope auxiliorum chirurgiae ex vagina, uretra, vesica auferantur, si possibile, vel involvantur aliqua substantia, quae contactum ad tempus imminuet cum partibus vivis, vel minus asperum reddat. Vermes enecari possunt injectionibus substantiarum illis infensarum.

Operationes chirurgicae pro nymphomania sananda hucusque susceptae, nonnunquam artis miraculo, sunt: cauterisatio clytoridis, nympharum vel aliarum partium; excisio, vel resectio primarum, quae nuncupatur clytoritomia, nymphotomia, vel conjunctim laeminarum circumcisio; demolitio tumorum, excrescentiarum, vel

colli uteri, et tandem oophotomia. Sub accessu nymphomaniae, ne aegrae manus ac pedes exsoluti sint, veta; quod obtinetur opa machinarum peculiarium, ut illa a Chiarugi proposita. Hae sunt auxilia chirurgica.

Si nymphomania ob diuturnitatem vires aegrae jam infraxerit, dum morbus propriis adminiculis adhuc curatur, sustinendae illae sunt eodemque tempora functiones organicae adjuvandae, nutrientium ope, minime stimulantium, calefacientium. Praeterea suadendus est motus, suadenda vectatio, equitatio in aere libero, puro, rusticatio; observanda morum castigatio, ac colenda religio.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Medicis non licet cuncta omnibus aperire.*

2. *Narcotica, alia sensibilitatem, alia contractilitatem offendere.*

3. *Contra ascitem purgantia minime suadenda.*

4. *Plurimae medicorum contentiones ad lectum aegrotantium solvuntur.*

5. *Medicis, qui proprias sententias nimis permulcent, nec fidendum, nec nostram committendam vitam.*

182